

Iscrizioni in latino nella città universitaria

Addenda

Messaggio della R. Università di Roma per l'inaugurazione della nuova sede dello Studium Vrbis (1935)

Vniuersitas Romani Studi ineunte XIV saeculo constituta in aedibus consedit prope divi Eustachi templum sitis quae a nobilissimis postea renouatae architectis et amplificatae et pulcherrime ornatae, adeptae a sapientia nomen Vrbi quoque ornamento esse iure ac merito videntur.

Ac tamen cum auditoria illa tot eruditissimorum uirorum inlustrata praeceptis angustiora facta essent quam ut frequentiam et multitudinem discipulorum magis magisque in dies crescentem continerent, iamque instrumentum ad inquisitionem inuestigationemque ueri comparatum spatiisiora loca postularet, auitam domum relinquendam esse nuper censuimus nouamque faciundam aedificandamque curauimus. Quam singulari opere et grandi impensa exstructam a. d. V. Kal. Nou. iussu et auspicio Victori Emmanuelis III Regis nostri inuicti semper augusti Benitus Mussolini prudentissimus rei publicae nostrae moderator et rector idemque noui iuris inuentor et conditor Veritati et Doctrinae et Studiis Vniuersis et Artibus elegantibus ingenuisque dedicabit.

Nec dubitamus quin non inritis uocibus uota pro incolumitate ac prosperitate Romani Studi sit nuncupaturus.

Quae dum exspectantur, considerantibus nobis qui quot viri ex quot orti nationibus uel in uniuersitate nostra uel in urbe dedissent operam liberalibus disciplinis, et quanto Romae honestarum artium altricis et quasi parentis amore eruditorum pectora animique semper arderent, iam uero illud memoria tenentibus, a Bonifatio VIII Pont. Max. Romanum Studium institutum esse ad uniuersalem profectum non solum incolarum urbis ipsius et circumpositae regionis sed et aliorum qui de diuersis mundi partibus ad hunc quasi quandam fontem scientiarum irriguum conuenturi forent, non alienum uisum est omnes totius orbis terrae Studiorum Vniversitates et Academias et omnia Collegia doctorum hominum rogare, ut legatos ad nos oratoresque decernerent mitterentque, qui nobiscum agerent festum hunc diem Romani Studi quasi ad nouarum laudum spem bonam et certam renascentis.

Domo profectis fortasse molestiae aliquid adferet longinqua legatio, sed hic ab omni recreabuntur labore cum conuersatione nostra non enim hospitum loco habebuntur sed conturbanium tum multo magis unicae Vrbis aspectu, quae quasi quoddam pulchritudinis domicilium et uirtutum triumphorumque seminarium magnam et praeteriti temporis admirationem mouet et exspectationem futuri, egregia artium decora ostendens monumentaque Italicarum Romanarumque rerum uel quae a maioribus tradita summa nos pietate et religione quantum possumus incorrupta seruamus uel quae recentiorum artificum sollertibus ingenii antiquam laudem aemulantibus elaborata sunt.

Valete.

D. Idib. April. an. p. Ch. n. MDCCCCXXXV a fasc. rest. XIII Roma.

Rector Vniversitatis

Studi almae Vrbis